83

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUAEDAM

DE

HEPATITIDE

COMPLECTENS.

6

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
QUAEDAM
DE
HEPATITIDE
COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOSIAS SMITH,

Anglus,

SOC. REG. MED. EDIN. SOC.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1818.

AMICIS SUIS SPECTATISSIMIS,

JOHANNI GOVETT Jun. Armigero,

ARTEM SALUTIFERAM

APUD TIVERTON DANMONII

EXERCENTI,

PRÆCEPTORI SUO IN RUDIMENTIS

REI MEDICÆ;

ITEM,

BENJAMINI BAKER, Armigero,

CHIRURGO PERITISSIMO,

CAMELODUNI ESSEXAE,

SUB CUJUS TUTELA

IPSE ATQUE RES SUAE FAMILIARES

FELICITER FLORUERUNT;

HOC TENTAMEN,

AMICITIAE GRATIQUE ANIMI PIGNUS,

(QUAM EXIGUUM!)

D. D. C.QUE

JOSIAS SMITH.

DENIQUE,

JEREMIAE KIRBY, M. D.

APUD PORTOBELLO,

VICINAM EDINBURGO,

MEDICINAM

AEQUE AC SCIENTIAM

COLENTI,

OB INNUMERA IN SE BENEFICIA COLLATA,

ET NUNQUAM MEMORIA NON FÈRENDA ;

HANC DISSERTATIONEM,

ANIMI GRATISSIMI TESTIMONIUM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA

SACRAM VULT

AUCTOR.

Jecur inflammationi vel acutae vel longae est obnoxium. Illa autem rarior est nisi in regionibus calidis.

A Cullenio hisce verbis hepatitis definitur; "Pyrexia; hypochondrii dextri tensio et dolor, saepe pungens, pleuritici instar, saepius obtusus; dolor ad claviculam et summum humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis; dyspnoea; tussis sicca; vomitus; singultus *."

* Culleni Synops. Nosolog. G. 16.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUAEDAM

DE

HEPATITIDE

COMPLECTENS.

JECUR inflammationi vel acutae vel longae est obnoxium. Illa autem rarior est nisi in regionibus calidis.

A CULLENO hisce verbis hepatitis definitur: "Pyrexia; hypochondrii dextri tensio et dolor, saepe pungens, pleuritici instar, saepius obtusus; dolor ad claviculam et summum humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis; dyspnoea; tussis sicca; vomitus; singultus *."

* Culleni Synops. Nosolog. G. 16.

Sauvagesius et Sagarus, inquit Cullenus, inter symptomata hepatitidis colorem faciei flavescentem, urinas icteritias, et serum sanguinis missi et crustam subflava posuerunt; haec autem symptomata rarissima esse censuit.

SIGNA.

Ut signa hujus morbi in utrisque speciebus diversa sunt, primo acutae, deinde longae symptomata nobis est in animo narrare.

Hepatitis acuta pyrexia et febre synocha plerumque aggreditur. Corporis vigor hebescit; artus tremunt, et pulsus arteriarum frequentiores, crebriores, duriores evadunt; hypochondrium dextrum et epigastrium, praesertim si manu premantur, dolent.

Dolor saepe pungens, nonnunquam autem obtusus est, et saepe ad summum humeri dextri, ad claviculam ejusdem lateris et gulam sen-

titur; et CELSO auctore *, dextra manus aliquando eundem participat. In quibusdam exemplis dolor paulum tantummodo percipitur, vel in hypochondrio aut humero sinistro sedem habere; in aliis dorsum et scapulam occupare videtur. Aeger quoque, nisi in affectum latus, difficile decumbit. Spiritus praeter naturam crebrius trahitur, atque sitis, etsi lingua humida sit, aegrum vexat.

Septum transversum haud raro dolore et ardore laborat, et brevi post morbi aggressum tussi frequente agitatur. Primo tussis fere sicca est; quum autem (quod saepe accidit) inflammatio pulmonem invaserit, humidior, laeviorque gradatim evadit. Alvus in plerisque hepaticis adstringitur, et dejectiones colorem insuetum monstrant. Urina parca, rubra, aut ex flavo rubescens excernitur.

Ingravescente morbo, pulsus frequentiores fiunt; cutis arida et calida, lingua sicca et albida, et sensus saporis ingrati in ore percipitur.

---

* Celsus, lib. iv. cap. viii

Ventriculo etiam et duodeno hepati consentientibus cibus male concoquitur, et post pastum praecipue graviditas, inflatio, dolor et alia pravae concoctionis signa sequuntur.

Symptomata Hepatitidis longae, praesertim initio, satis obscura sunt. Per hebdomadas, vel etiam menses plures, latere potest, atque aeger se male habere vix sentiat. Haec morbi varietas plerumque signis pravae concoctionis aggreditur. Totum corpus macrescit, vigor pedetentim minuitur, et saepe animus sine causa debita maerore valde opprimitur. Vultus pallidum et quasi plumbeum colorem induit; appetitus ciborum ferme deficit; nonnunquam autem plurimum augetur, et cibaria avidissime devorantur. Tunica oculi albuginea flavescit. Ut in acuta, dolor hypochondrii et epigastrii, obtusior tamen, adest, et haud raro ad summum humeri dextri pertendit. Lingua plerumque albida videtur; pulsus frequens et inaequalis Primo morbi stadio, alvus astricta; morbo autem ingravescente, tantum soluta

est, ut miser diarrhoea *colliquitava* medicis dicta tabescat. Aeger interim praeter modum irritabilis; nunc somniculosus fit; nunc e somno territus expergiscitur. Spiratio quoque subinde interrumpitur. Urina parca et alti coloris excernitur; et secundum Rosii * et Henrici † pericula, urea, quod in urina sanorum abundat, caret. Provectiore morbo, ipsum jecur extra marginem costarum tactu apparet. Jam nunc spirandi difficultas et tussis magis urgent. In alterumque latus aeger recumbere nequit; pulsus magis debilis, magis inaequalis micat. Denique, sudores nocturnae, necnon alvi dejectiones insidentes, miserum defatigant, et haud longo e medio tollunt.

---

* Vide Thomson's Annals of Philosophy, vol. v. p. 424.
† Ibid. vol. vi. p. 392.

SEDES.

Hepatitis, ut videtur, varias partes jecinoris in variis hominibus afficiat. Signa itaque nimirum pro sede diversa sunt. Judice Culleno, inflammatio jecinoris in extremis arteriis hepaticis sedem habet; et illi verisimile videtur speciem acutam membranam hepatis serosam semper afficere. Ex sententia aliorum rami et ramusculi venae portarum in hoc morbo praecipue afficiuntur.

Modo convexam, modo concavam partem hepatis inflammatio invadit; adeo utrasquė varietates signis propriis auctores distinguere voluerunt. Inflammato nempe convexo hepate, spiritus (ut aiunt) difficilius trahitur, et tussis magis urget, nimirum, quod haec superficies septo transverso contigua sit, et ei ligamentis arcte nectitur: concavo autem affecto, ventriculus nausea, vomitu et ciborum prava concoctione laborat.

FINES.

Hepatitis, ut aliae phlegmasiae, saepe sponte vel resolutione desinit; aliquando autem fluxu critico, sanguinis nempe e naribus aut ex alvo, sudore multo aut diarrhoea, erysipelate, sputo e pulmonibus, vel denique urinae sedimento copioso finitur. Attamen in plurimis exemplis hujus morbi finis est abscessus aut durities hepatis, et nonnunquam, ut dicunt, gangraena. De finibus novissime memoratis, paucis disserere oportet.

SUPPURATIO HEPATIS.

Hepar minus in hisce regionibus quam sub sole tropico ad suppurationem tendit. Hanc adesse notant dolor diminutus, visceris affecti insueta graviditas, et febris hectica.

Quando hepatis superficies visceribus vicinis adhaesierit, pus ex suppuratione formatum in

stomachum aut duodenum irrumpere, et per intestina exire potest; raro enim, secundum PEMBERTONIUM *, pus in abdominis cavum irruit. Quum autem hepar e convexa parte septo transverso se jungat, pus in thoracem aut pulmonem meat, et cito miserum tollit, nisi, quod rarissime videtur, in cellulas bronchiorum insinuet, et per asperam arteriam expuatur Nonnunquam vero hepate parieti abdominis adhaerente, pus extrorsum tendit, et per vulnus a chirurgo perite factum eruit, et aeger fauste sanatur.

INDURATIO.

Scirrhoma finis hepatitidis frequentissimus observatur, et jure suspicari potest, si hepar induratum sub margine costarum tactu sentiatur, multo magis si partem inferiorem abdominis occupans, et viscera vicina detrudens appareat.

GANGRAENA.

Hepar rarissime in gangraenam transire vide-

---

* Practical Treatise on the Diseases of the Abdominal Viscera, p. 37.

tur, signa itaque eam finem notantia describere supervacaneum foret.

INSPECTA CADAVERA.

In corpore hepatitide extincto jecur praeter naturam largum et plerumque durum observatur, et contra aliquando induratum et mole diminutum; nonnunquam etiam pallidi coloris. Interdum septo transverso, interdum contiguo parieti abdominis, modo posteriori parti ventriculi, modo summo intestino hepar adhaeret. Porro abscessus pus continens, vel hoc in saccum pleurae aut saccum peritonaei, aut in intestinum summum effusum observatur.

Gangraena hepatis hujus morbi sequela nonnunquam visa est; hoc autem, ut supra diximus, rarissime occurrit.

RATIO SIGNORUM.

Hypochondrii dextri tensio. — Hepatis vasis praeter solitum sanguine impletis, hoc viscus spatium largius occupare videtur, adeoque hypochondrium in quo locum habet tensionem insuetam sentit.

Dolor pungens et obtusus.—Dolor in hoc morbo modo pungens est, modo obtusus. Ille a membrana hepar vestiento intensa oritur ; hoc autem inflammationi ipsius glandii proprius est, nimirum quod dolorem glandii intimae partis esse obtusiorem quam in ejusdem membranis experientia docet.

Dolor ad claviculam et summum humeri dextri, haud dubio consensui illius regionis cum hepate, nervorum nempe, praesertim phrenici dextri medio, tribuendus est.

Decubitus in sinistrum latus difficilis, ex ligamentis hepatis ipsis, ut verisimile est, inflamma-

tis, a graviditate visceris aucta intensis, facile explanari potest.

DYSPNOEA.

Inter respirationem, vel spiritum hauriendum, vel ejus exhalationem, jecur septo transverso membranis arcte convexum, modo septum comprimit, modo a septo comprimitur, adeoque spiritus, in acuta hepatitide praecipue aegre et difficile trahitur, quod septum transversum nunc difficilius nec sine dolore movetur.

Tussis.—Impedita respiratione, sanguinis simul per pulmones circuitus impeditur, unde fit quod musculi respirationi inservientes in motus crebriores et saepe inaequales impellantur, et tussis, naturae nempe ad pulmones sublevandos conatus, cietur.

Vomitus, qui hepaticos (praesertim longo morbo laborantes) aliquando vexat, aut ex pondere hepatis stomachum opprimente, aut ex calore aucto hoc viscus stimulando, aut denique ex bile in ventriculum a duodeno refluente, orire potest.

Singultus, a motu abnormi septi transversi, modo supra memorato affecti, evidenter pendet.

Pulsus intermittens, signum quod in hepatitide longa supra memoravimus, hoc modo a PEMBERTONIO explanatur. Sanguis (inquit) in arteria hepatica per hepar induratum difficile affluens, in cor rejicitur, ibique motum abnormem excitat *.

CAUSAE.

PLURIMAE causae hepatitidis ab auctoribus memorantur; quarum praecipua est, *calor coeli tropici*. In calidis regionibus, praesertim in Indiis, mortales potissimum hepatis inflammationi sunt obnoxii; et jecur aptius est inflammationi quam corporis aliae partes. Inde hepatis inflammatio et ejus morbi sequelae frequentiores sunt in calidis plagis Indiarum quam in coelis frigidioribus, namque illuc pauci Euro-

* Vide Pemberton, lib. citat. p. 38.

paei immigraverunt, aut ibi longo tempore habitare possunt, quin serius ocyus hepatis inflammatione correpti sint. Quinetiam canes, ut aiunt, qui cum suis magistris in calidas regiones immigraverunt, inflammatione hepatis afficiuntur.

Calvaria fracta et depressa ; mentis agitationes ; durities hepatis, injuriae jecori illatae ; concretiones in hepate aut in *ductibus bilis haerentes ; febres intermittentes* et *remittentes*, hepar indurando, haud raro longam ejus inflammationem movent. *Abusus* quoque *liquorum meraciorum* aptum quod inflammatione corripiatur hepar reddere evidetur.

Causarum quas supra memoravimus aliae abditae, aliae evidentes, a medicis nuncupantur, sed revera inter eas rite distinguere valde est difficile.

DIAGNOSIS.

Nunc paucis dicendum est quibus signis he-

patitis ab iis morbis qui notis quibusdam eam simulent dignoscatur.

Morbi quibus hepatitis plus minus similis videtur sunt, *pneumonia*, *gastritis*, *rheumatismus*, *ductuum fellis spasmus*, *et dyspepsia*.

PNEUMONIA.

Hepatis cum pneumonia (praesertim dextri lateris) confundi possit, sed medicus signis sequentibus hunc ab illo morbo saepe distinguere potest. In pneumonia enim dolor rarissime infra costam sextam ; in hepatitide rarissime supra eam sentitur. Dolor etiam hepaticus parte manu pressa sub margine costarum magis urget, et nisi ad claviculam dextram aut humerum migraverit, locum raro mutat, et minus respiratione exasperatur. Tussis, quae pleuriticum vexat, brevi post morbi incursum humidior fit, quam quae hepaticum invadit, dum initio illius crebrior et vehementior multo est, et sputa sanguine commista sunt. Pleuriticus porro, haud tantum doloris quum in sanum latus decumbit, quantum

hepaticus sentit. Hi morbi itaque plerumque facile distingui possunt.

GASTRITIS.

Gastritidis et inflammationis concavi sinistri jecoris lobi sedes fere similes sunt. Qui stomachi inflammatione laborant, hepate simul non affecto, cibos pariter ac potus, vixdum devoratos rejiciunt, et summa anxietate simulque dolore et ardore vix tolerandis cruciantur. Quinetiam viribus, morbi gravitate deficientibus, citissime e vita discedunt.

RHEUMATISMUS.

Dolor in rheumaticis alias corporis partes quam musculos prope jecur afficit, atque huc et illuc corpus flectendo plurimum exasperatur; et praeterea neque tussis, neque spirandi difficultas, neque vomitus adest. Indicia jam recensita hepatitidem plerumque ostendunt.

SPASMUS FELLIS DUCTUUM.

Nonnunquam ab inflammatione quae in con-

cavo jecore insidet difficile distingui potest. In illo morbo, sudores profuse effluunt; dolor plurimum mitigatur, corpore antrorsum super genua flectando: haud ita in hoc morbo res se habet.

DYSPEPSIA.

Tot, tamque varia sunt signa quae pravam concoctionem notant, ut dyspepsia vix, aut ne vix quidem, a quibusdam viscerum abdominalium morbis dignosci possit. Signa quoque longae hepatitidis, ut supra monstratum est, valde sunt obscura, atque in plerisque exemplis, praesertim ineunte morbo, cum signis dyspepsiae facile confundantur. Pauca revera sunt symptomata, quibus isti morbi dignoscantur. Si vero aeger in sinistrum latus decumbere nequeat; si dolor dextri lateris compressione augeatur et noctu ingravescat; si vultus praeter modum tristis et discolor et albuginea oculi subflava sit; si, denique, ipsum hepar induratum et extrorsum tendens tactu appareat, tunc demum medicus

aegrum longa hepatitide laborare vix dubitare potest.

PROGNOSIS.

Hic notas conemur proponere quae spe animum erigant, quae metu deprimant.

Si morbus subito invadit, et aeger nondum morbis aliis vel diuturna in fervidis regionibus peregrinatione vel nimio labore vel intemperantia debilitatus fuerit, si crusta sanguinis missi coriacea albida et firma sit, ac si moeror aut adversa fortuna aegri animum nondum fregerit, bonum est: ita quoque si dolor et febris diminuti sint, et pulsus minus frequens micat, dummodo aeger remediis debilior non factus fuerit. Contra malum est, ubi aeger aut praeterita indulgentia, aut morbo, aut remediis infirmatus est, ac si, dolore febreque auctis aut non levatis, vires corporis multum aut subito exhauriantur. Infaustum est si morbus insidiose aggrederit, si

crusta sanguinis missi perlucida, striata et subviridis appareat *, si sudor profusus, pulsu simul frequentiore, vultum irroret.

CURATIO.

Restat, ut nunc paucis dicemus quae acutae hepatis inflammationi conveniat curatio; dein quae longae.

Acutae hepatitidis curatio, sanguinis detractione, exulceratione, purgatione, et *regimine antiphlogistico* dicto tentanda est.

Sanguinis detractio.—Sanguis e plaga ampla et pleno rivo detrahendus est; nam medici comperti * sunt sanguinem sic missum plus ad inflammationem digerendam quam sanguinem eadem copia e plaga exigua et minuto rivulo detra-

* Vide Pemberton, loc. citat.

† Vide Fordyce, fourth dissertation on Fever, p. 50; fifth ditto p. 15; et Pemberton, lib. citat. p. 27.

here. Quantum sanguinis mittendum sit judicet medicus a morbi vi et ratione et aegri viribus consideratis. Aliquando sanguinem e brachio detrahere difficillimum est, deinde e dextro hypochondrio cucurbitulis cum ferro aut hirudinum ope sanguinis pauxillum elicere utile erit.

Exulceratio vesicatoriis dextri hypochondrii ad acutam hepatis inflammationem discutiendam multum valet. Ei itaque parti post sanguinis detractionem, et quum vis inflammationis aliquantum minuta fuerit, emplastrum epispasticum amplum applicandum est.

Purgatio quoque acuta hepatitide laborantibus multum prodest. Medicamenta ei consilio maxime idonea sunt cathartica mitiora et refrigerantia, praesertim sales medii. Ut sunt *sulphas sodae*, *sulphas magnesiae*, *phosphas sodae*, *supertartris potassae*, *tartras potassae*, *tartras sodae et potassae*, &c. Sin autem dicta medicamenta parum ad alvum movendam polleant, iis supponenda sunt fortiora, veluti *submurias hydrargyri*, *pulvis jalapii*, et similia. Judice Pem-

BERTONIO, tamen, *submurias hydrargyri* primo stadio hepatitidis acutae caute adhibendus est.

Nuper post alvi plenam purgationem sales medios quantitate diminuta, e. gr. drachma *sulphatis magnesiae* bis saepiusve in die repetita, multum prodesse compertum est.

Post vim morbi remediis quae memoravimus mitigatam, hydrargyrum spe hepar mediocriter stimulandi, indeque duritiem ejus organi (quod etiam in specie acuta aliquando suspicari licet,) sublevandi, externe admovendum est. Hoc consilio drachma dimidia aut drachma una *unguenti hydrargyri fortioris* omni nocte regioni hepatis infricanda est, et ejus usum per dies octo vel decem, nisi dolor aut febris acciderit, continuare oportet.

Eodem tempore aegro ab omnibus esculentis et potulentis quae cor et arterias stimulent, praesertim a carne et vino, abstinendum est.

Ubi dicta remedia nostram spem fefellerunt, et hepar in suppurationem abierit, atque abscessus extrorsum extuberat, plaga perite facta pus

emittere, dein idonea curatione sanare ulcus oportet.

In longae hepatitidis curatione plurima remedia laudata sunt; pauca autem, nisi ineunte morbo, multum profuerunt. Prae caeteris *hydrargyrum*, cathartica et *acidum nitricum* celebrantur. De his igitur paucis disserere voluimus.

Hydrargyrum.—Remedium hocce modis duobus in corpus recipitur; ore nempe et frictione per cuticulae poros. Grana octo ad viginti massae *pilulae hydrargyri* aut pilula e granis duobus *submuriatis hydrargyri* et grano dimidio opii omni nocte omnique mane sumenda sunt; vel potius *unguentum hydrargyri fortius* modo jam supra memorata regioni hepatis infricare oportet. Hydrargyri usum per hebdomadas sex vel octo, ad salivam nempe leniter movendam, continuare necesse est; dein remedium omittere et vires aegri alimentis et remediis idoneis reficere oportet.

Intervallo dierum fere quatuordecim remedio iterum uti, atque iterum remittere, ad curationem usque decet.

Cathartica.—In longa morbi forma, ut in acuta, medicamenta cathartica multum prodesse videntur; et initio morbi in quantitate ad alvum plene evacuandam apta, et postea in dosi minore ad eandem leniter movendam. Hoc consilio *sulphas magnesiae* in aqua large soluta summo beneficio usurpatus est.

Acidum nitricum.—Etsi hoc medicamentum nuper plus aequo collaudatum fuit, et quidem ad coelum elatum, quasi pro omnibus aliis remediis supponeretur, multum beneficii tamen post usum hydrargyri afferre potest. Drachma una aut duae aquae bilibra commista quotidie assumenda est, et, nisi in stomacho dolorem incitat, per dies acto aut sedecim continuare remedium oportet. Si dolor ventriculi advenerit, minus acidi uti debet, aut cum eo guttae aliquot *tincturae opii* sumendae sunt.

Usus acidi nitro-muriatici forma balnei in curatione hepatitidis a Doctore H. Scott, in actis Societatis Medico-Chirurgicae, (tom viii,) com-

mendatur. Alii vero medici eum prodesse negant *.

Inter remedia longae hepatitidis dignum est memorare *leontodon taraxacum* olim a BOERHAAVIO ad concretiones bilis laudatum, nuper a PEMBERTONIO in morbo quem tractamus, felicissime praescriptum. Hic auctor, ut libra infusi fortis herbae recentis cum radice, quotidie bibetur, monet.

---

* Vide Edinburgh Medical and Surgical Journal, vol. xiv, p. 383.

FINIS.